UNIVERSITÄTS
BIBLIOTHEK
WUPPERTAL

BERGISCHE
UNIVERSITÄT
WUPPERTAL

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Diodori Sicvli Bibliothecæ Historicæ Libri XV

### Diodorus <Siculus>

### Basileæ, 1578

Diodori vita, ex Suida - De eodem, ex Volaterrano - Vita Dictys Cretensis, per Septimium Romanum - De eodem, Q. Septimii Romani epistola, ad Q. Aradium - Daretis Phrygii historici ex Volaterrano vita

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-1046

Visual Library

# DIODORI VITA,
## ex Suida

Diodorus Siculus historicus uolumen composuit, quod inscripsit Bibliothecam. Est autem historia, Romanas res, pariterq; externas, quadraginta libris cōplectens. Floruit autem Augusti Cæsaris tēporibus, & ultra.

# DE EODEM, EX VOLAterrano.

Diodorus Siculus scripsit historiam, quam Bibliothecam inscripsit. Continet aum res & Romanas, & uarias, in libris XL, ut Suidas testatur: qui dicit eū floruisse sub Augusto, & suprà: quod & ipse quoque, libro sexto testatur. Iulius Cæsar, inquit, diebus nostris Rhenum pontibus miro modo iunxit. Primi sex libri Antiquorum gesta, quæ Fabulosa appellant, ante bellum Troianumcontinent. In horum primis tribus Barbarorum, in reliquis antiquæ res Græcorum narrantur. In undecim deinde, conferuntur quæ de bello Troiano usque ad Alexandri Macedonis mortem gesta sunt. In reliquis XXIII. continentur, quæ deinceps usque ad bellum Gallicum, quod Romani duce Iulio Cæsare gesserunt, qui annos summa complectuntur M. CXXXVIII. Huius historiæ tantum sex libri ad nostram ætatem peruenēre. Hæc Volaterranus.

# VITA DICTYS CRETENSIS,
## per Septimium Romanum,

Dictys, Cretensis genere, Gnoso ciuitate, iisdem temporibus quibus & Atrides fuit, ritus uocis ac Phœnicum literarum, quæ à Cadmo in Achaiam fuerant delatæ. Hic fuit socius Idomei, Deucalionis filii, & Meronis, ex Molo, qui duces cum exercitu contra Ilium uenerant. A' quibus ordinatus est, ut annales belli Troiani conscriberet. Igitur de Troiano bello, in quo & ipse militauit, sex uolumina in tilias digessit Phœniceis literis. Quæ iam reuersus senior in Cretam, præcepit moriens ut secum sepelirent. Itaque ut ille iusserat, memoratas tilias in plumbea arcula repositas eius tumulo condiderunt. Verò secutis temporibus, uidelicet tertiodecimo anno Neronis imperii, in Gnoso ciuitate terræmotus facti, cum multis, tum etiam sepulchrum Dictys ita patefecerunt, ut à transeuntibus arcula uideretur. Pastores itaq; prætereuntes quum eam uidissent, thesaurum rati, sepulchro abstulerunt. Et aperta ea, inuenerunt tilias incognitis sibi literis conscriptas. Continuoq; ad eius loci dominum, Eupraxidem quendam nomine, pertulerunt. Qui agnitas quænam essent, literas, Rutilio Rufo illius insulæ tunc præsidi obtulit. Ille cum Eupraxide ad Neronem oblatas transmisit, existimans quædam in his secretiora contineri. Has autem quum Nero cepisset, aduertissetq; Phœniceas esse literas, interpretes ad se uocauit. Qui quum uenissent, interpretati sunt omnia. Quumq; uerò cognouisset, antiqui uiri qui prælio apud Ilium interfuerat, hæc esse monumenta, iussit in Græcum sermonem transferri. E' quibus Troiani belli uerior textus innotuit. Tunc Eupraxidem muneribus donatum, ex Romana ciuitate ad propria remisit. Annales uerò nomine Dictys inscriptos in Græcam bibliothecam recepit. Quorum seriem, qui sequitur textus, ostendit.

# DE EODEM, Q. SEPTIMII ROMAni epistola, ad Q. Aradium.

Ephemeridem belli Troiani, Dictys, Cretensis (qui in ea militia cum Idomeneo fuit) conscripsit literis Punicis, quæ tum Cadmo & Agenore autoribus per Græciam frequentabantur. Is in post multa secula collapso per uetustatem apud Gnoson (olim Cretensis regis sedem) sepulchro eius, pastores quū eò deuenissent, fortè inter cæteram ruinam loculum stanno à fabro clausum, offendēre: ac thesaurum rati, mox dissoluunt, non aurum, nec aliud quicquam prędę, sex libros ex philyra in lucem producunt. At ubi spes frustrata est, ad Praxim dominum loci, eos deferunt. Qui commutatos literis Atticis (narratio Græca fuerat) Neroni Romano Cæsari obtulit, pro quo plurimis ab eo donatus est. Nobis quum in manus fortè libelli uenissent auidis ueræ historiæ cupido incessit, ea uti erant latinè disserere: non magis confisi ingenio, quàm ut ociosi animi desidiam discuteremus. Itaq; priorum quinq; uoluminum, quæ bello contracta, gestaq; sunt, eundem numerum seruauimus. Residua quidem de reditu Græcorum in unum redegimus, atq; ad te misimus. Tu Ruffine mi, ut par est, faue cœptis.

# DARETIS PHRYGII HISTORIci ex Volaterrano uita.

Dares Phrygius historicus, scripsit bellum Troianum Græcè, in quo & ipse militauit, ut Isidorus, primus ferè historicorum. Qui tandem capto Ilio, cum Antenoris factione remansit, ut scribit Cornelius Nepos: qui opus eius è Græco sermone conuertit, dicauitq; Crispo Sallustio.